

<https://www.thelatinlibrary.com/ter.adel.html>

De. (...)

omissiores paulo. o noster Demea
ad omnia alia aetate sapimus rectius;
solum unum hoc uiti senectus adfert hominibus:
attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
quod illos sat aetas acuet. **DE.** Ne nimium modo
bonae tuae istae nos rationes, Micio,
et tuos iste animus aequos subuortat! **MI.** Tace:
non fiet. mitte iam istaec: da te hodie mihi:
exporge frontem. **DE.** Scilicet ita tempus fert,
faciundumst. ceterum ego rus cras cum filio
cum primo luci ibo hinc. **MI.** De nocte, censeo:
hodie modo hilarum fac te. **DE.** Et istam psaltriam
una illuc mecum hinc abstraham. **MI.** Pugnaueris
eo pacto prorsum illi adligaris filium.
modo facito ut illam serues. **DE.** Ego istuc uidero:
atque ibi fauillae plena, fumi ac pollinis
coquendo sit faxo et molendo; praeterhac
meridie ipso faciam ut stipulam conligat;
tam excoctam reddam atque atram quam carbost. **MI.** Placet:
nunc mihi uidere sapere. atque equidem filium
tum etiam si nolit cogam ut. cum illa una cubet.
DE. Derides? fortunatus, qui isto animo sies.
ego sentio.. **MI.** Ah, pergisne? **DE.** Iam iam desino.
MI. I ergo intro, et quoi rei est, ei rei hunc sumamus diem.

DEMEA
SENEX

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit, (...)